bant *halgein ydorum*, salem affer; ἅλ vero Graece sal dicitur, et *halen* Britannice; lingua namque Britannica propter diutinam quam Britones, qui tunc Troiani et postea Britones a Brito eorum duce sunt vocati, post Troiae excidium moram in Graecia fecerant, in multis Graeco conformis invenitur. hic autem mihi notabile videtur quod in uno verbo tot linguas convenire non invenio sicut in isto; ἅλ enim Graece, *halen* Britannice, similiter Hybernice, *halgein* interposita *G* lingua praedicta; item *sal* latine, quia, ut ait Priscianus, in quibusdam dictionibus pro aspiratione ponitur *S*, ut ἅλ Graece, sal Latine, ἕμι semi, ἕπτα septem; *sel* Gallice mutatione *a* vocalis in *e*, a Latino additione t literae *salt* Anglice, *sout* Teutonice. habetis ergo septem vel octo linguas in hac una dictione plurimum concordantes. sin autem interpositae relationis de veritate quid sentiam, scrupulosus investigator inquiras, cum Augustino respondeo, admiranda fore divina miracula, non disputatione discutienda; nec ego negando divinae potentiae terminos pono, nec affirmando eam quae extendi non potest insolenter extendo. sed illud Hieronymi semper in talibus ad animum revoco: multa, inquit, incredibilia reperies et non verisimilia, quae nihilominus tamen vera sunt. nihil enim contra naturae dominum praevalet natura. haec igitur et similia si quae contigerint iuxta Augustini sententiam inter illa locaverim, quae nec affirmanda plurimum neque neganda decreverim.

SCHULTERBLATTSCHAU.

MITGETHEILT VON G. W. DASENT.

Itinerarium Cambriae l. 1 cap. 11 (Lond. 1585).

Flandri Rossentes.

Hoc autem mihi videtur hac de gente notandum quod in armis arietum dextris carne nudatis et non assis sed elixis tam futura prospiciunt quam praeterita et ante incognita longe respiciunt, tempore quoque praesentia sed loco absentia quasi prophetico quodam spiritu arte miranda cognoscunt, pacis et guerrae signa, caedes et incendia, domestica adulteria, regis statum, vitam et obitum rimularum quarundam et notularum

indiciis certissime declarant. unde et nostris temporibus contigit virum quendam partium istarum non ignobilem et in arte praedicta prae aliis instructum, cui nomen Gulielmus Mangunel, uxorem habere de proprio viri nepote praegnantem. cuius eventus vir non ignarus arietem de ovili proprio sumptum ex parte cuiusdam vicini sui coram uxore sibi praesentari procuravit. quo statim ad coquinam transmisso, cum eodem die in prandio sedissent, armum arietis debito more decoctum et purgatum ad inspiciendum vir mulieri, quam in hoc peritam noverat, ex industria porrexit. quem cum paulisper intuita fuisset, rimulas notans et signa secreta et oraculum, in mensa subridendo proiecit. ille vero cuncta dissimulans cum risus causam reique notitiam tanto vehementius efflagitasset, illa demum tanquam importuna viri mota instantia respondit 'vir de cuius ovili aries hic fuerat uxorem habet adulteram et proprii nepotis incestu iam gravidam effectam.' ad haec autem vir subtristis vultuque demisso 'verum' inquit 'oraculum profers et nimium veritate subnixum, unde et tanto mihi dolendum fortius quanto in propriam iniuriam publicata redundat ignominia.' at illa tantam sui comperto crimine confusionem dissimulare non praevalens interiorem animi passionem signis exterioribus, urgente vicissim tam pudore quam angustia, nunc rubore vultus, nunc pallore, demum vero lacrimis more muliebri est protestata.

Praeterea oblatus est cuidam armus caprei quasi pro ovino, quia simillima sunt ossa purgata. qui notatis rimulis parumper et signis cum admiratione subiecit 'infelix pecus, quae nunquam novit multiplicari, infelix et pecudis dominus, qui nunquam ultra tres vel quatuor in uno grege habere praevaluit.'

Destructionem quoque patriae post obitum regis Henrici primi per annum ante vel dimidium multi in humeris praeviderunt, qui venditis universis quae possidebant tam mobilibus quam immobilibus indempnes imminens excidium evaserunt.

Contigit etiam in Flandriae finibus, unde gens ista descenderat, viro quodam, vicino suo os huiusmodi ad inspiciendum transmittente, quod portitor fossam obiter transsiliendo fissa nate crepitum dedit, quem statim viri naribus, cuius causa vexabatur, verbis et votis adoptavit. ille vero,

cui portabatur, armo inspecto illico subiecit 'sed tu, frater, id quod mihi adoptaveras in naribus habeas.'

Accidit autem, quod et notabile censui, quendam nostris diebus ossis inspectorem non solum furtum furtique tenorem, furem ipsum furandique modum et circumstantias omnes inspiciendo notasse, verum et campanae pulsum et tubae sonitum, ac si praesentialiter adhuc agerentur quae iam praeterita fuerant, audisse. mirum itaque quod sicut coniuratione, illicitae imaginaria quadam similitudine oculis acta, sic et auribus repraesentant accidentia.

PASQUILLUS AUF DEN PROTESTIRENDEN KRIEG (SEIT 1546).

Nachfolgende deutschlateinische hexameter fand ich von einer hand des sechzehnten jahrhunderts geschrieben in einem folioband des hiesigen stadtarchives welcher historische collectanea enthält, unter obiger überschrift. es ist die warnung eines kaiserlich gesinnten, welcher unter Kuemaul *die Schweizer und unter* Marcus *Venedig verstanden haben wird.*

Heitz ein Landgrafi, giefs ahn Sachs, Schertle beschers wol,
  Reibs aufs Carle pater, solvite Reichstettites!
Reichstettites narri, quos cippus (*l.* cyphus) et amphora duxit
  Saxonica ins Schwaisbad, ferre quod hi nequeunt.
Gallia nunc vobis, Kuemaul, nunc Marcus et aeger
  Consilii Danus, Anglia verba dedit.
Nec qui Gottswortum vestrum beschirmere vellet
  Turcus erit, hô hô perfida Gselliditas!
Spes erat in Bauris auflauffos machere doctis,
  Protulit ad spiesos rustica turba fero
Witz habuit Nurmberg, achfsla tragavit utraque,
  Rathschlägiis vestris sensit inesse metum.
Eya agite in Witzis servando Caesari glauben,
  Ne Senecae badum wermere conveniat.

Frankfurt a. M. im jan. 1847. FR. BÖHMER.